



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118626

§. 18. Conclave pro eligendo Pontifice.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](#)

Sæcul. XVI., „dua vitæ suæ momenta unice in sa.
A.C. 1565. „lutem animæ suæ impendat, seque ita
„sancte disponat, ut coram Deo com-
„parere possit. „ Borromæus semper a-
gonizanti Papæ, donec tandem animam
suam Deo redderet, adstitit, eidemque
sacrum Viaticum ipsus administravit:
adfuit quoque felici huic morti sanctus
Philippus Nerius.

§. XVII.

Pii IV. Papæ obitus.

Ciacon. .871 **D**enique Pius IV. Pontifex exspira-
883. bat, hæc senis Simeonis verba pro-
Rayn. n.38. nuntians: *Nunc dimittis servum tuum
Domine secundum verbum tuum in pace.*
Erat obitus sui dies a contracto morbo
octavus, ac noctu, quæ inter octavam,
& nonam Decembris diem intercedit,
contigit, dum ætatis suæ annum exple-
rat sexagesimum sextum cum octo men-
sibus, novemque diebus. Corpus ejus
in Vaticana Ecclesia lateritio tumulo
repositum est: anno autem Salvatoris
nostrí millesimo quingentesimo octoge-
simo tertio ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ
de Angelis translatum in monumento
marmoreo ante Altare majus recondi-
tum fuit.

§. XVIII.

Conclave pro eligendo Pontifice.

Eadem

Eadem, qua Pius IV. Papa obiit, die ^{Sæcul. XVI.}
 Cardinales convenerant, ut jura- ^{A.C. 1565.}
 mentum, quo se ad ejusdem Papæ
 constitutionem in novi Pontificis ele-
 tione servandam adstringebant, in-
 novarent; quapropter ea prælecta o-
 mnes jurejurando se eam executioni
 datus spondebant. Postea ad comi-
 tia progrediebantur, ubi Cardinalis
 Borromæus jam ab initio sua sollicitu-
 tudine, zelo, & auctoritate in id unice
 intentus erat, ut ejusmodi Pontifex e-
 ligeretur, qui ad obeundum munus,
 quod tam raras dotes, tamque copio-
 fas virtutes depositit, sat idoneus esset.

§. XIX.

Borromæi studia erga Cardinalem Moronum.

Equidem Borromæus præprimis in
 Cardinalem Moronum inclinabat,
 utpote quem Paulus IV. gravissimis ne-
 gotiis præfecerat, & Pius IV. sium
 ad Tridentinam Synodum Legatum
 nominaverat: cum vero indole asperior,
 ac insuper sub Paulo IV. hærefis accu-
 satus, etiam custodiæ datus esset, imo
 nonnulli suspicarentur, quod ex vindic-
 etæ libidine Pium IV. ad Caraffas ca-
 stigandos instigasset, hinc Borromæi
 consilium mox evertebatur, atque illi,
 qui de Borromæi proposito certiores
 redde-